



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Sectio I. Quidditas & prædicata propria visionis Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

modo credendum est, esse aliquid quod ignorent, & l. 4. Dialogorum c. 33. quod est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt, Bernar. l. de triplici genere bonorum, O sapientia, quæ omnia quæ in cælo, & terra sunt perfectissime cognoscimus, in ipso fonte sapientiæ, rerum omnium cognitionem bibentes, alios omitto.

Vtrum visione Dei producatnr necessario species expressa siue verbum mentis.

Species expressæ nomine, vt ex Philosophia constat, intelligitur representatio formalis obiecti cogniti, quæ potentia redditur formaliter cognoscens, soletque illa dici verbum mentis, eo quod per eam intellectus loquatur sibi, id est representet, seu reddat præsens obiectum. Cum ergo inter omnes constet reperiri necessario in omni alia cognitione aliqua huiusmodi representationem formalem, quæ vel adæquatè vel inadæquatè sit cognitio, etiam si dubium sit vtrum illa distinguatur ab actione per quam producitnr, difficultas inquam est vtrum visio Dei etiam sit species expressa, & verbum mentis productum de nouo, an verò per lumen gloriæ intellectus creatus, ita vniatur essentiæ Dei præsentis, vt sine vlla specie expressa fiat videns Deum.

Species expressa.

Ratio dubitandi est primò quia species expressa non est necessaria nisi vt suppleat absentiam obiecti, si enim obiectum est se ipso præsens, non debet fieri præsens per aliud, ergo ad cognitionem intuitiuam Dei præsentis non requiritur species creata. Deinde verbum est id quod immediatè intelligitur, ergo vbi Deus immediatè intelligitur, nullum requiritur verbum; si enim inter intellectum, & Deum, reperitur aliquid medium iam visio non est immediata.

Prima dubitatio.

Secundò, si intellectio qualibet est necessario productiua verbi, sequitur quod secunda & tertia persona Trinitatis quando intelligunt, perducunt verbum, hoc autem est absurdum vt patet.

Secunda.

Tertiò, si datur in intellectu beati species expressa Dei, posset etiam dari aliqua species obiectiua, in qua scilicet prius cognita cognoscatur Deus, quod communiter non admittitur: probo autem sequi, quia qui videt intuitiue hanc speciem expressam necessario videt Deum, videt enim Deum eo modo quo illa Deum representat sed illa representat Deum vt est in se formaliter, ergo qui videt hanc speciem videt Deum vt est in se.

Tertia.

Quartò, si datur huiusmodi species expressa, manet etiam in memoria species huius speciei, vt fit in aliis cognitionibus quarum recordamur, & per quas eodem modo videmus obiecta, ac si essent præsentia, ergo si sanctus Paulus v. g. vidit Deum in raptu & eius visionis recordabatur, videre semper poterat Deum intuitiue.

Dico primò, implicat esse Dei visionem in intellectu beati quæ non sit species expressa & verbum mentis realiter de nouo productum: ita Theologi omnes communiter contra recentiores Thomistas qui adherere hac in re maluerunt Caietano, quàm sancto Thomæ asserenti sæpius verbum mentis in visione Dei, vt rectè ostendit Suarez, Molina, Vasq. Fasol. Arrub. Herice, neque satis video quem sensum habere possit eorum sententia quam triplici ratione sic impugno.

Dari speciem expressam.

Prima fit ex ratione cognitionis: omnis cognitio creata etiam intuitiua est essentialiter productio verbi creati, visio Dei est essentialiter cognitio creata, ergo est productio verbi creati. Maior expressè habetur apud August. l. 6. de Trinit. c. 10. Cum se mens nouit, & amat, inquitur ei amore verbum eius, quod iterum probat c. 11. cum Deum nominas, maximèque cum eadem notitia etiam placita, dignèque amata, verbum est, & S. Thom. q. 27. art. 1. quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis. Deinde argumentor omnis creata cognitio, est representatio formalis creata obiecti cogniti, nam

Prima ratio.

omnis

Ordo gratiarum.

Secundò intra ordinem supernaturalem cognoscit beatus quilibet omnes creaturas quæ aliquo modo pertinent ad mysteria fidei, earumque rationes circumstantias, essentias, existentias, & proprietates, ita enim colligitur ex scripturis, videmus nunc per speculum in Enigmate tunc autem facie ad faciem, reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, &c. Fauet etiam perfectio beatitudinis, & sanè Christi Domini, cuiusque Matris amantissimæ non aspectus duntaxat, & congressus, sed perfectissima etiam cognitio, magnum videtur esse complementum beatitudinis, eorum qui per filij & matris amorem redempti sunt.

Quæ pertinent ad statum.

Tertiò, cognitio etiam illa extenditur ad omnes actus liberos & futura contingentia quæ pertinent ad cuiuslibet statum, alioqui non esset ita perfecta beatitudo, vt beatum quietum redderet in suo statu, significauit autem breuiter ea Guillelmus Parisiensis, prima parte summa tract. de animæ immortalitate c. 9. quidquid decebit, vel delectabit eas videre, visuræ sunt, sciunt itaque omnes amicorum, & consanguineorum prosperos, aut aduersos euentus, viam quæ quisque ad cælum deductus sit: parentes quæcumque spectant ad familiam, fundatores religionum quæ ad eorum bonum, aut malum statum, & cætera huiusmodi.

Ad primam Resp. certum esse quod orationes ad ipsos directas singuli sciunt, & distinctè cognoscunt sancti & quidem in verbo, vt persuadet Concilium Senonense, sed tanquam in specie, ac obiecto intelligibili, non tanquam in medio prius cognito vt probatum est.

Ad secundam Resp. fieri posse vt aliquis minus beatus plura sciat ratione status particularis, quàm alter magis beatus sed iste tamen ratione beatitudinis in genere multò plura cognoscit quàm alter, & ad hoc determinatur per lumen gloriæ perfectius.

QVÆSTIO IV.

Quidditas, & proprietates visionis beatæ.

Art. 2. 6. 7.

EX his quæ hæcenus disputauimus de possibilitate, & obiecto visionis beatæ, facilis est cognitio quidditatis eius & proprietatum, de quibus triplex restat controuersia. Primò quænam sit propria eius quidditas. Secundò an visiones Dei sint inæquales. Tertiò an visio sit vel esse possit Dei comprehensiuæ.

SECTIO I.

Quidditas, & prædicata propria visionis Dei.

Dvo habet qualibet cognitio intellectus ex quibus essentia eius dignoscitur. Primus est terminus qui per eam producitnr. Secundum est obiectum quod per eam attingitur, idèoque tota visionis huius innotescet quidditas, si primum constet qualis per eam producatnr terminus id est vtrum producatnr per eam species expressa, & verbum mentis, secundo quomodo per eam attingatur proprium eius obiectum quæ sunt propria prædicata huius visionis.

omnis cognitio est representatio formalis, atque ita cognitio creata, est creata representatio; sed verbum creatum & expressa species creata non est aliud formaliter, quàm representatio formalis creata (hoc enim est quod omnes appellant verbum mentis creatum) vt amplius constabit disputatione sexta, ergo euidenter est quod omnis cognitio est productio verbi creati.

Confirmatur, quia si quid impediret hanc visionem ne productiua esset verbi, esset presentia obiecti & eius intelligibilitas hoc enim est quod aiunt Thomista; sed hæc presentia & intelligibilitas obiecti, non impedit productionem verbi. Quod probatur: quando Pater æternus producit verbum, cognitio est intuitiua, & essentia Dei est perfectè præsens, hoc non impedit productionem verbi, ergo presentia essentia diuinæ non impedit productionem verbi, sicuti etiam quando Angelus se ipsum cognoscit, producit sine dubio verbum. Deinde certum est quod sapientissimè Patres & S. Thomas probant processionem verbi diuini per intellectionem ex eo quod omnis cognitio creata producat verbum, quæ argumentatio nulla est si aliqua cognitio creata non producit verbum.

Neque dicas esse discrimen inter intellectionem creatam, & diuinam quia ista dictio est. Sed contra nam dictio seu loquutio est formatio verbi, vnde argumentor: diuina intellectio etiam si sit intuitiua, est tamen loquutio seu productio verbi, ergo creata intellectio intuitiua, potest esse dictio & productio verbi.

Supereft ergo vt probetur prima minor, quod visio Dei sit essentialiter visio creata; si enim illa esset aliquid increatum formaliter, sequeretur quod homo fieri posset intelligens formaliter per intellectionem increatam, volens per voluntatem increatam, imò & viuens per vitam diuinam, quod est damnatum in sexta synodo contra Monothelitas vt tertia parte, & in tract. de beatit. ostensum est, & repugnat etiam philosophiæ quæ docet intellectionem essentialiter esse actionem vitalem, atque aded esse operationem illius in quo recipitur. Deinde repugnat etiam Theologia, nam vt intellectus constitueretur intelligens per intellectionem increatam, deberet creata intellectio immediatè vniri cum intellectu, est autem impossibilis immediata vnio naturæ creatæ, cum naturæ diuinæ, & attributis essentialibus, vt etiam fatentur Thomista. Vnde manifestè sequitur quod visio Dei est cognitio creata, & consequenter verbum mentis & species expressa creata.

Secunda ratio.

2. Ratio fit ex ratione actionis: visio Dei essentialiter est actio, sed omnis actio, est fieri alicuius termini vel ab ea distincti, vel indistincti (de quo nunc nõ laboro) ergo visio Dei est fieri, & productio termini qui prius non erat; ille autem terminus dicitur verbum mentis, siue illud distinguatur ab actione siue non: ergo datur verbum mentis in visione Dei. Maior probatur clarè, omne reale quod non erat prius, debet necessariò fieri de nouo; nihil enim est de nouo, quin fiat de nouo per actionem realem, distinctam, vel indistinctam; visio Dei est realis, quæ non erat prius: ergo, debet fieri de nouo per actionem, vel esse ipsamet actio. Quomodo? enim visio erit nunc magis quàm ante, si non fit magis quàm ante: nam quodcumque dixeris esse visionem, certè illud fieri debet, cum prius non fieret, siue dicas esse vnionem cum essentia diuinæ, siue aliquid aliud: semper illa vnio fit, illud nouum fit, ergo visio Dei est actio.

Iam verò prima minor probatur. Quia omne fieri, est fieri alicuius rei, omnis dependentia est alicuius rei dependentia, vbi est generatio, aliquid est quod generatur, sed actio est fieri, & dependentia effectus

ab agente, ergo est fieri, & dependentia rei alicuius, quomodo enim cogitari potest calefactio sine calore, & aliquid fieri vbi nihil fit. Denique quod terminus ille sit verbum mentis probatur: illud quo formaliter representatur obiectum potentia cognoscenti est verbum mentis. Per hanc actionem producit id quo representatur formaliter obiectum potentia cognoscenti, ergo illud est verbum mentis; quid enim aliud produci potest per actionem quæ cognitio est, quàm verbum mentis, quod patet ex aliis omnibus cognitionibus, in quibus id quod producit est semper verbum mentis, ergo & in ista.

Tertiò argumentor ex vitalitate visionis, illud quod formaliter, & in actu secundo est vita creata, debet esse productio termini viuents, visio Dei est in actu secundo & formaliter vita creata, ergo debet esse productio termini viuents. Maior est certa quia vita in actu primo nihil aliud est quàm posse producere in se ipso aliquid viuens vt patet inductione: ergo vita in actu secundo est producere aliquid quo formaliter & in actu secundo dicitur viuens. Quæro enim de illa vnione cum essentia in qua dicunt Thomista consistere visionem, illa vel est actus primus, vel actus secundus, si primum, ergo per eam intellectus est potens videre non actu videns: si secundum ergo est actio aliqua productiua termini. Confirmatur quia illa vnio est aliquid distinctum à lumine gloriæ, ab essentia diuinæ, & ab intellectu, illud distinctum est aliquid productum de nouo, ergo illa vnio est aliquid productum de nouo, & est sine dubio verbum mentis. Quia (vt supra dixi) est id quo formaliter obiectum est præsens potentia cognoscenti, ergo illa vnio est formaliter verbum mentis.

Tertia ratio.

Ad primam Resp. satis ostensum esse speciem expressam non esse ordinatam ad suppleendam absentiam obiecti, alioqui Angelus se ipsum cognoscens non produceret speciem expressam. Sola igitur est species impressa quæ supplet absentiam obiecti, de qua loquitur S. Thom. cum negat in visione beata inueniri speciem. Deinde contra Philosophiam & contra experientiam est dicere quod in omni cognitione verbum mentis cognoscatur immediatè, quis enim non experitur contrarium, producit ergo immediatè verbum mentis, sed immediatè cognoscitur obiectum: quia quoties inter intellectum, & Deum reperitur aliquid medium quod cognoscitur, fateor Deum non immediatè cognosci, si autem reperitur aliquid medium quod producit, nego sequi quod Deus cognoscatur solum mediare: nam illud verbum est ratio formalis cognoscendi, sicut effectus immediatè pendet ab agente, quamuis dependeat medià dependentià formali, ita Deus cognoscitur immediatè, quia cognoscitur medio verbo mentis quod est ratio formalis cognoscendi.

Solutio primæ dationis.

Ad secundam constabit ex dicendis de Trinitate. quare verbum & spiritus verè intelligant & tamen non producant verbum: quia scilicet verum quidem est in diuinis intellectionem esse productiuam verbi, quando est distinguibilis ab ipso verbo, nam productio dicit oppositionem: quando autem non est distinguibilis ab ipso verbo, tunc nego illam esse productiuam verbi, intellectio notionalis in patre, quia distinguibilis est à termino propterea est productiua verbi, filius autem & spiritus sanctus intelligunt intellectione solum essentiali quæ non est distinguibilis à termino cum sit absoluta communis omnibus personis, ided intellectio in secunda & tertia persona Trinitatis non est productiua verbi deinde verbum, & spiritus sanctus intellectionem habent eandem quam habet pater, quæ quatenus est in patre productiua est verbi, non autem quatenus est

Solutio secundæ.

est in alii duabus personis; quia illa iam exhausta est quando in patre produxit verbum. Unde dico in l. l. lectionem esse productiuam verbi quando non est exhausta producendo verbum, quando autem est exhausta; nego illam esse productiuam verbi.

Solutio  
tertiaz.

Ad tertiam Resp. esse omnino impossibilem speciem Dei obiectiuam, in qua tanquam in medio prius cognito videatur Deus intuitiue, quia implicat creatura quae contineat eminenter vel formaliter cognoscibilitatem, & perfectiones Dei. Sed species illa in qua tanquam in medio prius cognito videretur Deus vt est in se deberet continere formaliter vel eminenter perfectiones Dei, nam obiectum quod est medium prius cognitum; debet (vt dixi) continere hoc modo id quod in ipso cognoscitur (vt ostendit) ergo implicat huiusmodi species. Non est autem par ratio speciei tum impressae, tum expressae, quia in illis prius cognitis non videtur obiectum; impressa enim virtualiter tantum representat, expressa est solum formalis similitudo, quia etsi non cognoscatur facit tamen cognoscentem formaliter, cum ergo perfectiones omnes Dei videantur in specie obiectiuam debent etiam esse in ea necessario. In specie tum impressa, tum expressa non videtur perfectiones Dei sed per illas videntur ideoque non debent in illis esse.

Ad probationem igitur nego eum qui videt visionem Dei, vel eius speciem impressam, videre propterea Deum vt est in se, quia cognoscit Deum per propriam speciem tanquam per medium cognitum, non tanquam per principium effectiuum, vel formale cognitionis; cognoscere autem Deum per speciem propriam tanquam per medium cognitum, non est videre illum intuitiue. Deinde videt Deum eo modo quo representatur per speciem tanquam per medium, non autem eo modo quo representatur per speciem tanquam per similitudinem formalem aut virtualem, sed per illam speciem vt est medium prius cognitum non representatur Deus vt est in se; ergo non videtur Deus vt est in se.

Ad quartam Respond. probabilis esse, quod species expressa Dei non producit in intellectu speciem illam impressam sui ad memoriam, quia cum illa sit ex natura sua semper durans, inutile propterea est vt aliquam sui speciem relinquat, cum per se ipsam faciat totum quod faceret species impressa. Deinde addo quod si relinqueret speciem aliquam impressam in intellectu, non cognosceretur Deus per illam intuitiue; quia cognosceretur per speciem propriam visionis, sed non per speciem propriam ipsius Dei; sicut ergo qui videret visionem Dei, Deum non videret intuitiue, sic qui videret per speciem visionis abstractiue solum videret Deum. Vtrum autem videret quidditatiue dicitur statim. Neq; par est ratio de alijs obiectis intuitiue cognitis quorum recordamur cognoscendo illa intuitiue; quia tunc in memoria vna est species propria obiecti, & altera visionis praeterita in recordatione visionis Dei, nulla esse potest species propria Dei, sed solum visionis.

S. II.

Quenam sint visionis Dei praedicata propria.

Octo pro-  
phetates.

Vide illa excogitari posse plurima. Primo enim est cognitio certa & evidens atque adeo perfectissime scientifica cui proinde nullus error subesse potest. Secundo est specularia simpliciter, & tamen extrinsece practica cum ex ea nascatur amor, gaudium, &c. Tertio est supernaturalis secundum substantiam, & ex obiecto, quia nulli creaturae debet potest vt ostendebam. Quarto iudicativa est simul & apprehensiva, simplicissima tamen, & indiuisibilis. Quinto est immediata cum in ea per se ipsum videatur

Tom. I.

Deus, non autem per speciem alterius. Sexto est intuitiua quia videtur per eam Deus vt est in se ipso, non ad modum alterius. Septimo est quidditatiua; sic enim appellatur cognitio distincta quidditatis rei, Deus autem cognoscitur in ea quoad quid est, non confuse solum, sed distinctissime, vnde satis facile videtur posse solui quaestio de qua disputari solet contra Scotum. Vtrum sit possibilis cognitio Dei quidditatiua saltem in adaequata, quae non sit intuitiua sed abstractiua. Nec enim recte probari videtur esse impossibilem huiusmodi cognitionem ex eo quod existentia sit de essentia Dei. Nam sicut vna pars essentiae considerari sine altera potest, vnum scilicet attributum sine altero, sic certum videtur quod attributum quodlibet considerari potest, quin explicitè consideretur existentia; vnde sequitur tantum, esse impossibilem cognitionem Dei quidditatiua adaequatam, quin cognoscatur existentia, sed non sequitur esse impossibilem cognitionem illam in adaequatam; praeterquam quod cognitio esse potest abstractiua, quamuis attingat existentiam: Vera igitur ratio cur implicet cognitio Dei quidditatiua quae sit abstractiua, est; quia cognoscere Deum abstractiue est cognoscere per speciem creaturae, sed nulla creatura potest ostendere distinctè sed confuse tantum quid sit Deus, cum eius perfectio infinitè ab eo differat; ergo implicat cognitio abstractiua Dei quae sit quidditatiua. Minor probatur, quia tunc cognitio quidditatis est confusa, quando fit per conceptus communes, non autem per conceptus proprios, cum autem Deus ex creaturis cognoscitur, cognitio haec fit per conceptus tantum communes, non autem per proprios, ergo non potest esse cognitio distincta. Octauo ita est cognitio directa vt implicet eam esse reflexam supra se ipsam, vt fuse probabo, sect. 3.

SECTIO II.

An & quomodo visiones Dei sint inaequales inter se.

Certum est primo Dei visiones tripliciter dici posse inaequales. Primo, intensiue si vna Deum clarius attingat quam altera, atque adeo plures habeat gradus. Secundo indiuidualiter si vna eiusdem quidem sit speciei cum altera, sed substantialem tamen perfectionem habeat maiorem quam illa, non formalem eo quod non habeat aliud obiectum formale, sed materiale, eo quod attingat plura obiecta materialia. Tertio specificè si essentialiter differat ab altera, & tantum conueniat in ratione visionis intuitiua Dei.

Omnis co-  
gnitio Dei  
est intuiti-  
ua si est  
quiddita-  
tiua.

Triplex  
inaquali-  
tas visio-  
num.

Triplex  
inaquali-  
tas visio-  
num.

Certum est secundo diuersitatem specificam visionum Dei ex duplici capite oriri posse. Primo ex eo quod habeant principia effectiua diuersa, v. gr. visio producta per intellectum Angelicum; & visio producta per intellectum humanum habent principia speciei diuersa. Secundo ex eo quod habeant obiecta speciei diuersa v. g. visio quae cognoscit in verbo plures creaturas, vel etiam diuersas perfectiones diuinas, his positis.

Ex duplici  
capite po-  
tuit oriri.

Triplex de hac inaequalitate controuersa est, 1. Vtrum haec visiones sint aliquo modo inaequales, intensiue, aut alio modo. 2. Vtrum sint inaequales specificè, quando habent principia effectiua diuersa. 3. Vtrum quando habent obiecta diuersa.

S. I.

Vtrum inter visiones Dei aliqua sit inaequalitas intensiua.

Negauit iam olim inaequalitatem intensiuam praemij, & beatitudinis essentialis Iouin. & non ita pridem Lutherus eo quod sola iustitia Christi nobis imputata saluari nos velit. E Catholicis nullus eam negat, sed indiuiduale illi soli reijciunt, qui negant indiuidua eiusdem speciei posse differre plus quam numero. Ratio dubitandi tota petitur ex Parabola vineae: Matth.

Hereticorum  
error.